

Acia, quæ magnitudinem, moremque affectus testantur. Nam benignas, paruasque inflammationes sola vincet natura, alias verò, quæ lethales non sunt, communi opera naturæ, & artis abigi posse sperabimus. Cæterum an facilis, vel difficilis, fida, uel infida, perfecta, an imperfecta sit futura mutatio (quod est solutionis qualitatem explicare) hoc modo cognoscemus. Quæ enim benigna, paruaque est inflammatio in corpore bene affecto, & valido, quamque pepererunt benignæ, leuesque causæ, & sequuntur leuia symptomata, iuuant verò leuissima quæque præsidia; eoque tempore infestat, quo aliæ omnes sine difficultate, & molestia sunt solutæ, facilem mutationem promittit. Fidam verò solutionem expectandam esse admonent differentie nonnullæ ipsius affectus; quæ enim malignæ sunt, intermittunt sæpe dolores, remittuntque alia accidentia. Sed postea valentiores insurgunt, nihilque fidum pollicentur, quemadmodum & illæ, quæ per commoda, propriaque remedia nequaquam sunt alleuiatæ; solent enim hæc redire; quod & portendunt infirmæ vires, infirmusque corporis habitus multis, malignisque humoribus refertus. Ac multo quidem magis illud verebimur, si alijs per eadem tempora in eisdem locis pleuritide affectis idem acciderit. Eadem verò prænucciant perfectam solutionem, aut imperfectam. Nam parua, benignæque inflammationes, quas huiusmodi causæ excitarunt, quibusque non defuerunt, contuleruntque optima auxilia, ac optime affectum, validamque corpus subijcitur, perfecta omnia expectanda esse admonent. Porro inflammationes finiri solent quum educitur humor, vel suppuratur, aut induratur, aut in alias partes transfertur: id quod est media docere, per quæ illa ad finem suum properant. Aut pleuritidis natura ostendit duritiem nequaquam contingere posse. Educitur autem humor à parte affecta repellentibus, repellentibus, sputo, alui fluxu, sudore. Pollicentur autem imprimis uacuationem differentie ipsius pleuritidis. Nam benigna, paruaque inflammatio, quæque à tenui, calido, paucò, & benigno humore orta est in corpore raro, valido, non aliud quàm uacuationem expectandam esse testatur. Augebitur coniectura, si illa vacuantibus remedijs facile cedat, & reliquæ per uacuationem abierint. At per resolutionem finietur, quæ ex tenui, exiguoque humore potissimum uergente ad exteriora consistit, cuique profunt discutientia remedia parti laboranti adhibita. Idem ferè sentiendum est de illa, in qua expectatur sudor. Vix autem pleuritis vnquam solis repellentibus finitur, & raro per alui fluxum, sapius autem per sputum abigitur; quoniam via ad aluum difficilis est, prompta autem patet ad pulmonem, & os. Quapropter superfluum est eius, quod nunquam vel rarissime fit, vel omnibus ferè contingit, notas tradere. An verò suppurationem expectare oporteat ex his signis intelligemus. Quum enim suppuratio contingat, dum conclusa est materia, quæ suppurari est apta, & vis alteratrix valida est, necesse est solum magnas pleuritides suppurari posse. Illæ enim à sanguine fiunt propria suppurationis materia, siquidem pus ex sanguine fit; ob magnitudinem verò non facile expirat calor: Vnde quæ magnam pleuritidem monstrant, nisi præueniat uacuatio, eadem suppurationem ferè prænucciant; quanquam id quoque illis commune est, quæ in peripneumoniam mutantur. Quum enim nequeat contineri humor præ copia in membrana, ad pulmonem confertim effunditur. Itaque alia signa id clarius ostendent. Si enim dolor finis, sputum præterea non procedit in pleuritide, quæ suppurari debet, aut paucum omnino est, quod excernitur, illudque maximè sanguineum, nequaquam verò malignum. Manet quoque difficilis & cruda inflammatio plus iusto, nec iuuatur à vacuantibus, & alijs remedijs, quæ suppurationem impediunt. Quum verò iam fit suppuratio, certa adsunt indicia ex rigore, qui necessario omnes internarum partium suppurationes comitatur. Pulsus præterea suppuratorum in his apparere incipiunt, qui prorsus conspicui sunt, dum facta suppuratio est, quam monstrant & dolor, qui minuitur, & febris, & respiratio, & virtus. Quòd si non in pus, sed in putredinem mutetur; augentur lethalia signa, abeunt verò quæ salutem aliquam promittebant; apparetque latus liuidum, aut nigricans, aut virescens. Solet autem conuerti pleuritis non nunquam in hepatis inflammationem, aut ad neruos partes ferri; frequentius tamen, in peripneumoniam mutatur, ob loci vicinitatem, pulmonis mollitiem, & raritatem. Testantur autem id pulsus plus solito crebriores, & molliores, canorque vehementior in cavitare thoracis sentitur. Acceditque fitis, & genarum rubor incipit; desinitque dolor latus infestare, spiratio tamen difficilior, & febris vehementior redditur. Quòd si multa, pituitosaque materia est, quæ pleuritidem committit, nec vires ualidæ subsunt ad expurgationem noxij humoris; si præterea grassantur huiusmodi pleuritides, quæ in peripneumoniam uertuntur, non obscura habebis ex his rebus mutationis huius indicia. Tabem ex pleuritide, dum incipit, non est facile diuinare: nimirum quum necesse sit prius inflammationem suppurari, deinde pus ad pulmonem ferri, ipsumque pulmonem, & illius uenas erodi: progrediente tamen morbo, etiam suppurata pleuritide, ex sputo certæ notæ sumuntur. Si enim, inquit Hippocrates, post suppurationem, & eruptionem puris quadraginta diebus non repurgentur, qui laborant, in tabem transeunt. At locum per quem discutietur humor eadem ferè ostendunt, quæ media prænucciant, per quæ ad finem peruenitur. Quæ enim parua est, & à tenui, calidoque humore inflammatio, ut à digerentibus,